

Q. N. 534. 26

(X 1860 241)

B. M. 7

M. THOMÆ SAGITTARII, P  
FESSORIS PUBLICI, ET FACULTATI  
PHILOSOPHICÆ P. T. DE CANI,

II d  
44

ORATIO DE  
NONNULLIS HUIUS  
SECVLI POETIS CIRCUM-  
FORANEIS,

non quidem aliàs infausto & infe-  
sto Genio & Ingenio præditis: sed propria culpa  
Actæonibus Ovidianis, suâque sponte Dæmonibus  
Empedocleis, misellis & stulticellis  
Fraterculis,

habita' publicè in Magnifico, Illustri, & Augusto  
RECTORIS, BARONUM, PROFESSORUM,  
aliorumq; virorum & juvenum consessu,

Cum quatuordecim bonæ rei & spei Adole-  
scentibus primus in Philosophia gradus  
distribueretur,

DIE XVI. DECEMBER.

Anni

M. DC. XIV

JENÆ

TYPIIS JOHANNIS WEIDNERI

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAAL)

43.6

Rev. et clar.  
Sagittar.  
amici  
mso  
m. l. f.



VIRO MAGNIFICO, AMPLISSIMO,  
ET CONSULTISSIMO,

D N. E L I Æ  
FORSTERO, J. U.  
D. Comiti Palatino Cæsareo, Au-  
læque Saxonicae, quæ est Aldenburgi, Can-  
cellario meritissimo, Domino & Patrono  
meo colendissimo,

*Ἐπιτάφια καὶ Ἐπιτομὴν unà cum felicissimo novi anni auspicio, pro-  
gressu optatissimo, exitu latissimo apprecor.*

POËtarum non tam vile & servile nomen est & numen, ut ad ti-  
tivillitia Plautina applicandum sit, aut ad boum haras aman-  
dandum. Imperatores ipsi, Reges & Principes Poëtas in precio  
habuerunt, & habent etiamnum, máximo, eosdemque partim  
sua manu laurea impositâ exornare, partim certis privilegiis di-  
tare, partim suum ad consortium & mensas admittere clemen-  
tissimè voluerunt. At quò nunc apud non paucos illa Poëscos  
Poëtarumque sive dignitas sive divinitas concessit? Ad Utopiam,  
& ad Insulas non Fortunatas, sed Augiæ & Megaræ concessit,  
culpa non divinæ Poëscos, sed Poëtarum, (si ita vocandi) qui to-  
tam ferè Europam, Asiam, Africamque, (& nescio sanè, an A-  
merica ab istis hominibus planè tuta sit) instar novi cujusdam  
Ulysis sive percurrunt sive perreptant, & suorum carminum  
cen Æolicorum ventorum utres aperiant, & promiscuè quosvis  
isto velut spiramine afflant, mendicis voluntariis longè sæpe au-  
daciores & pejores.

Quam

Quam Reipublicæ literariæ pestem tum Magistratus compe-  
scere, tū viri docti omnib. modis retundere debent, ut purissima  
illa Poësis suo à squalore vindicetur, & Poëtæ boni suo in honore  
conserventur. Qua de causa, quod mei est officii & muneris, &  
hac in parte exequi non sum gravatus, sed ORATIONE PU-  
BLICA istorum sociorum mores moros planè otiosos & odio-  
sos descripsi, eamque Tuæ Magnificentiae, Vir Magnifice, Am-  
plissime & Consultissime, Domine & Patrone colendissime, ea,  
qua par est, observantia offero. Meritò, meritò. Ad viros enim,  
qui autoritate valent, & prudentia pollent, hoc vel maximè  
pertinet negotium. Taubmannus suum ad Siberum in hoc ipso  
confugit. Ait enim (lib. 4. Epigr. pag. 488. )

*Fac, ô SIBERE, (Nam data est occasio)*

*id carcinoma vapulet Poëticum,*

*ac liberali vindica manu Deas*

*nostro dicatas ordini. Ne postmodum*

*Adulterator iste multò pessimus*

*Latinitatis exspuat tot furfures.*

*Tot inquit, ne lacrimentur nanius*

*Poëtici sermonis iste præsica.*

Ego ad meum FÖRSTERUM, qui ut pro singulari sua pruden-  
tia de ingenii optimè judicare potest: sic & ervum à lupinis, api-  
colas à fucis, aquilas à vespertilionibus facilimè discernet, & bo-  
nis Poëtis præmia & decus, malis verò & circumforaneis istis  
pœnam & ignominiam decernet. Fiat. O fiat. Interim valeat  
Tua magnificentia optimè, & hanc Oratiunculam æqui boni-  
que faciat, suumque Sagittarium, ut hætenus, sic & imposte-  
rum, sibi habeat commendatissimum. Dab. Jen. 6. Jan. A. 1615.

Tuæ Magnificentiae

*deditissimus*

M. Thomas Sagittarius, Professor

Publicus, & Facultatis Philoso-  
phicæ p. t. Decanus.



DECANUS COLLEGII  
PHILOSOPHICI,  
**M. THOMAS**  
**SAGITTARIUS**  
PROFESSOR PUBLICUS,

L. S.

-----*Dignis debentur honores.*

Honores ergò nunquam dignis  
denegavit, nec denegabit imposterum, Aca-  
demia, uti nec Facultas nostra.

Hinc primum in Philosophia Gradum die Veneris  
proximo Candidatis quatuordecim, juvenibus piis, doctis  
& sedulis per me publicè tribuet.

Vos ergò


*Rector, Barones, Professores, Doctores, Magistri,  
Juvenesq; studiosissimi dicto tempore adeste, & actum illum  
Academicum vestra presentia magnifica & honori-  
fica coonestate & condecorate.*

Sic benè vos Musæ foveant, sic faustus Apollo  
laudet, & in studiis vos bonus ordo beet.

P. P. JENÆ IV. DECEMB. ANNI M. DC. XIV.

ORA.





## ORATIO.

**A**ctæon etsi more Principum suos canes in delitijs habuerat, illosq; sua de mensa nutrierat, tamen in silvis levi data occasione, semota omni reverentia, quam domino debebant suo, in illum ipsum irruunt, dentibus proscindunt, & in frusta minutissima discerpunt. Nempe miser ille & miserandus Actæon, ut canit Ovidius. (a)

Vellet abesse quidem, sed adest, velletque videre, non etiam sentire canum fera facta suorum.

Undique circumstant, merfisque in corpore rostris dilacerant falsi dominum sub imagine cervi.

*Fabulae sunt. Quis negat? At ego vobis, Viri magnifica autoritate, illustri dignitate, reverenda pietate, amplissima gravitate, experientissima curandi felicitate, clarissima eruditionis ubertate, laudatissima nobilitate, augustissima humanitate Conspicui, vobis, inquam, veros Actæones cum suis canibus hanc in scenam producam, effecturus, quod spero, ut horum latratus audiatis, rictusq; & dentes coram aspiciatis. Quinam verò illi? Quinam? Dicam paucis. Principes optimi, Magistratus honoratissimi, Consiliarij providi, Professores seduli, Praeceptores omni laude dignissimi, hodie Actæones sunt: Canes Poëtae sunt illi vagabundi, maledici, & quovis Archilocho dicaciores, ranis Ovidianis loquaciores, tauris Virgilianis pugnaciores, Dæmonibus Empedocleis, qui nullibi poterant consistere, miseres, ut quod de Tantalò ait Horatius. (b)*

(a) 3. Metamorp. pag. 86.

A 3

(b) 1. Ser. Tan- pag. 243.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat  
flumina. Quid rides? Mutato nomine de te  
fabula narratur. Congestis undique faccis  
indormis inhians, & tanquam parcere sacris  
cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

*Ego facili negotio ad presentia Reipublicæ numina & lu-  
mina ita accommodare possim & debeam:*

Dente canum Actæon cecidit discerptus iniquo  
vulnere. Quid rides? Mutato nomine de te  
fabula narratur, Princeps, convicia labris  
jacta malis, nugasque inopes & jurgia nosse  
cogeris, & toties vanos audire Poëtas.

*Etsi enim Principes ceterique Magistratus laudatissimi Mu-  
sis omnibusque bonis literis & studiis commodissima præbent ho-  
spitia, Scholas Academiisque ingentibus sumptibus erigunt,  
privilegijs ditant dotantque, & innumera quotidie in Studio-  
sos conferunt beneficia: Consiliarij & Professores, ut Paren-  
tes, nullo non tempore pro salute discipulorum non vigilant  
duntaxat, sed dormiunt etiam, inque id unice incumbunt, ut  
docti promoveantur, dignosque ad honores provehantur:  
Preceptores noctes & dies infera supera perquirunt & ex-  
quirunt, suumque jecur, ceu Prometheus, continuis vigilijs,  
ut ille avi exedendum & absumendum exponunt, ut aliquan-  
do utile dulci miscere, & religionis veræ, sapientiæ sinceræ,  
& eloquentiæ severæ lampada juventuti tradere possint: Ta-  
men omnes hi, non Joves tantum, sed & Apollines istorum  
Poëtarum, (si hoc nomine digni sunt, & non potius cynadi,  
mimi, scurræ, bibones & epulones dicendi) ceu anguim Aë-  
sopiorum, quos suo in sinu, proprijs etiam stipendijs velut  
calore foverunt, & ab hæræ ad Musarum penetralia suis quasi  
humeris deduxerunt partim, partim etiam suis consilijs è cœ-  
no inscitæ ad cælum sapientiæ, ceu novi Chirones evexerunt,  
partim non ad Solis ceu ille suum Phaëthonta, sed ad Honoris  
curram*

eurrum ut nova Minerva, transtulerunt, sibilo exploduntur,  
dente plus quam Theonino arroduntur, pasquillis conficiun-  
tur, contumelijs afficiuntur, conditijs proscinduntur, tum  
etiam, quando absentes sunt, & illi suis in popixis hesternam  
crapulam nondum edormiverunt, sed saepe cum Bacchanti-  
bus Orgia agentes sine ulla Lucina, velut Semele, foetum su-  
um ejiciunt, & modò bonorum virorum famam bellè flagel-  
lare & sugillare, versusq̄, quamvis non rarò a versos & per-  
versos sive fundere sive cudere possint, mirificè sibi placere  
incipiunt, & pro Jovis cerebro habere, si misella quaedam  
Anagrammata velut è silice ignem semiebrj protrudere que-  
ant, & ad omnes terræ angulos ceu ventos suos Æolus misit-  
tare. Quod cum enormem Regibus & Principibus inferat  
injuriam, Consiliarijs & Professoribus injiciat ignominiam,  
Præceptoribus inurat maculam, Rebus publicis afferat cla-  
dem, Poëtis ynoïois & aliàs viris non usque adeo infasto &  
& infesto Genio natis, affricet labem, imò Poëseos ipsius,  
Facultatis preciosissimæ & speciosissimæ dignitatem & divini-  
ta em attenuet, & vel ipsis Ambubajarum Collegijs mendi-  
cis, mimis, balatronibus exæquet: Constitui hac semiborula  
præter & contra meum morem, Ut enim inter viros placi-  
dos, mites & tranquillos nomen semper professus sum meum:  
Sic hætenus laudare potius alios, quam vituperare consue-  
vi. Sed ubi ulcus, ibi manus. Constitui, inquam, paucis  
ostendere, nihil minus Poëtas & Poësin decere, quam ita, uti  
hodie à nō paucis fit, omnes per terrarū angulos circumcur-  
sitare, versusq̄ etiam sutoribus & sartoribus promiscuè offer-  
re munera honoraria, vi non magica, sed quasi Imperatoria  
extorquere, non rarò etiam bonos viros, imprimis si parcio-  
re dent manu, neque Deunculos illos pronò adorent poplite,  
nec amplis continuò excipiant conditijs, jambis suis Hipona-  
eteis perstringere, sæpè etiam quod famam illorum optimam  
ledant, odiosè & malitiosè fingere, causis inductus quam-  
plurimis,

plurimis, imprimis, tum, ne meo silentio optimum Poëseos,  
 Diva istius purissima, quam & mihi velut nuptiali despon-  
 savit, imò devinxit annulo Imperator, causam prodere, ipsi-  
 usq; dignitatem amplissimam canibus istis plus quàm Cynicis  
 conspurcandam, vel etiam deprimendam prostituere, meosq;  
 Poëtas, quos summi etiam Reges & Principes in maximo ha-  
 buerunt, & habent etiamnum, precio, à publicis istis inju-  
 rijs, quantum quidem in me situm est, non vindicare velle  
 videar: Tum ut juventutem dilectissimam & selectissimam,  
 cujus salus omninò nobis omnibus & singulis suprema lex esse  
 debet, in medium quasi oculis subjecta istius rei fœditate, ab  
 ejusmodi mendacitate avocare, à dicacitate abstertere, à scur-  
 rilitate abstrahere, & ad bonorum Poëtarum imitationem  
 deducere queam. Credo enim & hoc nostro tempore verum

(c) 1. ser. esse illud Horatij. (c)

fat. 4. ---avidos vicinum funus ut ægros  
 pag. 263. examinat, mortisque metu sibi parcere cogit:  
 sic teneros animos aliena opprobria sæpe  
 absterrent vitis.

Quod dum facio, vos Auditores, ea, qua possum & debeo  
 submissione & devotione oro & obtestor, ut mihi de Poëtis  
 istis circumforaneis dicturo benignas aures præbeat, probè

(d) in perpendentes illud Plauti. (d)

Curcul. Indignis si maledicatur, maledictum id esse dico,  
 act. 4. Verum si dignis dicitur, benedictum est, meo qui-  
 pag. 210. dem animo.

Nostis enim & benè nostis, quam pessimè hodie divina illa  
 Poësis tantum propter hominum istorum, quibus de mihi jam  
 sermo est, sive ineptiam sive inopiam ferè pro meretrice ha-  
 beatur, & passim in compitis, in toustrinis, in popinis deri-  
 deatur. Hi ergò Poësin ipsam, qua tamen nomen suum palli-  
 ant, quantum in illis est, deprimunt, ut quis cum Alexandro

(e) lib. 4. ex 2. Curtio (c) dicere possit: Impiabella suscipitis, & cum  
 pag. 37. habeatis



arma, licemini hostium capta, sicut tu, Dari, proxime ta-  
 lentis mille tanti exercitus Rex, percussorem in me emere vo-  
 luisti. Repello igitur bellum non infero. Repello, inquam,  
 bellum, quod isti tot jam annos sua Patrona immerenti planè  
 intulere, neque dum receptui canunt, sed expansis vexillis  
 nescio quot sive carminum sive criminum legiones medium  
 in campum producunt. Quod si quis, ubicunque tandem  
 degat terrarum, hac mea Oratione se ladi forsan putaverit,  
 is secum habitet, suoq; se metiatur pede, & probè se vitamq;  
 suam examinet, si dictis à me conformis est, vitam accuset  
 suam, non dicta, quæ generatim concepta, nominatim nemi-  
 nem tangunt vel angunt. Hoc enim publicè clara voce prote-  
 stor, me neminem in specie hic notare, sed vitia notoria ta-  
 xare, cum homine quoquam nihil esse rei aut negotij. Quod  
 si tamen quem calumniandi vetus in vaserit libido, ut cum  
 Horatio (f)

-----Parata tollat cornua:

is sciat, bonis viris ad defendendum nec res, nec verba, nec  
 auctoritatem defutura. Repono enim ex eodem Horatio:

An si quis atro dente me petiverit  
 inultus ut flebo puer?

quamvis si rem recta reputemus mente isti licet rigidi, satis  
 tamen frigidi taxatores Luna plerumq; cum cane Alciati (g) Em-  
 bloquatur: ---ubi frustra agitur vox irrita ventis.

Nam quod ait Rittersbusius: (h)

Quantum palmæ hydri possunt ranæ que nocere,  
 tantundem invidiæ virus obesse bonis.

Cum autem ipsam sive Comædiam sive Tragædiam, quam  
 isti homines velut Amphitruonem Plautinam, aut Cyclo-  
 pem Euripideam in scenam introducunt, penitiùs perpen-

B

do &

(f) lib.  
 Epod.  
 Od. 6.

(g) Em-  
 blem.  
 164.

(h) In  
 carmi-  
 ne qua-  
 dam.

do & expendo istos pœtas δωρεῶν αἴγυς, (Nam de bonis nil nisi optimè & sentio & sensurus sum aeternùm) nec Poëseos dignitatem, nec virorum doctorum officium considerare, suave vita exprimere deprehendo.

Etenim Poësis sive hujus antiquitatem sive utilitatem respexerimus inter primas disciplinas jure merito collocanda videbitur. Quibus enim tandem? Quibus, Auditores, in terra angulis, quibus in fortunatis Insulis, quibus in campis Elysij Musæ, quæ Poëtarum doctrices & ductrices sunt, nata dicuntur? ubi harum cunæ, ubi nutrices? De Jove nato gloriatur Creta, de Jovis cunis Curetæ, de Apolline susce-

(i) Ovid. *pto & alto Delus, de Mercurio edito Cynthus. At de Musis*  
1. *Meta-* *nulla patria, quæ in terra sit, gloriatur. Cælum ipsum hanc*  
*morph.* *laudem sibi propriam esse voluit. Loquatur Orpheus, loqua-*  
pag. 2. *tur Homerus, loquatur Hesiodus, qui illas in cælo conceptas,*  
(k) *In Cæ-* *in cælo natas, & ex cælo hominibus demissas esse fingunt.*  
*tic. Moy-* *Fingunt autem? Imò verò rectissimè affirmant. Est enim*  
*sis.* *Deus, qui omnia cum numero & metris fabrefecit, (i) &*

(l) *In O-*  
*rat. de*  
*re Poët.*  
*hab. Wi-*  
*teb. An.*  
1558.

-----cum corpore in uno  
frigida pugnarent calidis, humentia siccis,  
mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.  
Hanc Deus & melior litem natura diremit.

*Est Deus, qui non tantùm carmine angelico, quod illi co-*  
(m) *In O-* *ram throno majestatis divinæ magna suavitate decantant,*  
*ratione* *laudari vult & celebrari: verùm etiam oratione decenti &*  
*de ead. re* *versibus fidelium, describi & commendari. Hinc in Moyse*  
*Poëtic.* *Exod. 15. & Deuteron. 32. ut & in Jobo, Psalterio, Salo-*  
*habita* *mone, & Threnis Jeremiæ inveniri Hexametros, Penta-*  
*Lipsiæ* *metros, & Lyricos versus affirmat Hieronymus, (k) & se-*  
*An. 1575.* *quitur Zacharias Ottho, (l) & Gregorius Bersmannus, (m)*

Est

Est Deus, qui in ingenijs, quæ ipse de meliore luto finxit & ef-  
finxit, certos excitat & suscitât motus, quibus illa velut Mer-  
curij alis elata & elevata non tam infera meditantur ampli-  
us, sed ad supera planè evolant, & velut alter Deus res con-  
dere incipiunt. Nempe:

Est Deus in nobis, agitante calescimus ipso.

Nempe:

Sedibus æthereis Spiritus ille venit.

Nempe quæ omnium opifex condidit, eorum reliqua scien-  
tia tanquam actores sunt: Poëtica verò cum & speciosius  
quæ sunt, & quæ non sunt, eorum speciem ponit, videtur  
janè res ipsas non ut alia quasi histrio narrare, sed velut alter  
Deus condere, quod inquit Scaliger, (n) & eleganter explicat (n) libr. x.  
Fracostorius. (o) Unde ἀπὸ τῆς ποιήσεως à faciendo, sancto pla- Poët. c. i.  
nè & velut à natura providentia indito vocabulo, ut iterum pag. 6.  
loquitur Scaliger, (p) Poëta dicuntur. Imò & vates à vi (o) tract.  
mentis, si Varroni fidem habemus, appellati sunt, quod hac de re Po-  
plus quàm alij homines pollere intelligantur. Poëtas itidem ètic. pa-  
non fieri, sed nasci, cœlitus nempe infusa quasi singulari fa- gin. 350.  
cultate persuasum est doctoribus. Idg̃ rarissimè, ut putat (p) d. loc.  
Fracostorius, (q) siquidem quæ in Poëtis requiruntur, dona (q) d. tr.  
& bona attendere voluerimus. Nempe: de re

Consules fiunt quotannis & novi Proconules,

Solus aut Rex aut Poëta non quotannis nascitur:

quod ait Taubmannus. (r) Unde & Poëta Deorum filij dicti (r) In  
sunt, ut explicat iterum Fracostorius. (s) Cicero quamvis Philo-  
Orator hæc studia Oratorie longè præfert, & coràm gravissi- thes. pa-  
mo Pratore cū pro Archia Poëta causam ageret difficilimam, gin. 526.  
eadem divina & cœlestia nuncupavit, cui tum universus po- (s) d. tr.  
pulus, Consulesq̃ omnes & Senatores Romani ne vel tantil- & pag.

lum refragati sunt. Neque verò Poësis cœlo deducta suam illam dignitatem deposuit, aut instar Empusæ Virgilianæ jam  
---tenues concessit in auras.

Sed omninò etiamnum medio in disciplinarum choro inter non paucas illarum tantum caput extulit:

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Poësis enim non ad Grammaticas illas Prisciani ferulas, aut plagosi Orbiliij fustes abjecta est! sed rerum divinarum & humanerum velut flores ab ipsis arboribus mutuatur. Mutuatur dixi? Imò verò ipsa possidet, & suo ex Amaltheæ cornu depromit. Poësis non ad fabulas illas viles & serviles, quæ non nisi horrenda adulteria, Veneris nefanda stupra, Junonis quotidiana jurgia, in medium adducunt, illisq; juventutem & Phædriam Terentianum seducunt, astricta est: sed naturæ etiam penetralia perumpit, optimã de morib. componendis & compescendis rationẽ proponit, de motib. cœlestibus, de politiarum conversionibus & everisionibus, ut alia quamplurima taceam, multa felicissimè concionatur. Poësis non ad Tigelli detegendam, vel etiam publicè decantandam infamiam, non ad Hecales denudandam paupertatem, non ad mensæ, quæ oluscula dat minuscula, prodendam infamiam inventa est: Sed ad Dei Optimi Maximi gloriam propagandam, ad Imperatorum, Regum, Principum laudem celebrandam, ad bonorum civium sive comitatem sive communitatem prædicandam, & ubique tam verbis quàm vita puritatem & innocentiam commendandam. Quo nomine Musas perpetuas virgines illarum amatores fecerunt, quod nihil impurum, nihil Fescenninum, nihil fœdum, nihil oscum ex fonte Pœetarum manare voluerint: Sed omnia in carmine

esse

esse tersa, polita omnia, omnia compta & splendida, quod re-  
tè ait Kirchnerus. (t) Si quis dubitat. Et verò quis dubitat? (t) Orat.  
Si quis tamen dubitat, is Theologos accersat, Jureconsultos de Poë-  
consulat, Medicos audiat, philosophos denique adeat. Nul-  
lus enim horum poëtarum nomina allegare, rationes adduce-  
re, auctoritates apponere veretur.

Ex Epimenide Paulus Apostolus; (u)

κρῆτες αἰεὶ ψεύσαι, κακὰ θεῖα, γαστέρες ἀργαί; ait:

Ex Arato: (x)

τὸ γὰρ καὶ γένεσσι ἔσμεν:

Ex Euripide: (y)

Φθῆξον ἥθη χρηστὰ δαιλίας κακαί.

In movendo quã sunt fortia & felicia poëmata vel unius  
Lutheri testimonio notissimum est. Ait enim Lutherus, (z)  
Ego me unum ex illis esse fateor, quos poëmata fortius mo-  
vent, vehementius delectant, tenaciusq; in eis herent, quàm  
soluta oratio, sit sane vel ipse Cicero vel Demosthenes. Hæc  
Lutherus. Justinianus Imperator Homerum omnis virtutis  
patrem appellat, eundemq; ad suæ sententiæ confirmationem  
sepissime allegat, §. mortis causa. Inst. de don. §. item preti-  
um. Inst. de empt. & vend. §. quod a. Inst. de L. Aq. l. origo.  
ff. de cont. empt. l. legatis. §. pecorib. ff. de leg. 3. l. legata. §.  
supellectilis. ff. de supel. legata l. non facilè. §. & quidem.  
ff. de gradib. l. si uxor. §. planè. ff. ad L. Jul. de adul. l. aut fa-  
cta. §. eventus. ff. de pœn. l. qui venenum. in pr. ff. de V. S.  
Imò ipsi Imperatores Reip. translato ad se Imperio & totius  
populi auctoritate poëtas coronare, & ad sese tanquam singu-  
lare reservatum, & Cæsareæ Majestatis privilegium tran-  
stulerunt. Erat enim Romæ usitatus & pervulgatus mos, ut

disciplinæ  
laudibus  
habita  
Marpur-  
gi, Anno  
1595.  
(u) ad Ti-  
tum I.

(x) A-  
ctor. 17.

(y) I. Co-  
rinth. 15.

(z) In E-  
pistola  
præfixa  
Psalte-  
rio Eo-  
bani.

Confer  
eundem  
in col-  
loq. cap.  
37. fol.

384.

Pöeta lauro coronarentur, quem post urbem everfam aliquot  
seculis desuefactum Senatus Romanus revocavit, & Anno  
Christi millesimo trecentissimo quadragesimo primo Franci-  
scum Petrarcham magna populi frequentia in Capitolio lau-  
rea donavit, quam ille magna nobilium cinctus turba ad  
templum Petrinum detulit, tholoq; suspendit. Post Petrarchā  
Æneas Sylvius, qui Pontifex factus mutato nomine Pius II.  
dictus fuit, ab Imperatore Friderico III. lauro coronatus est,  
& deinde Germanorum omnium primus, natione Francus,  
Conradus Celtes ab eodem Imperatore lauream accepit. Inde  
jus pöetas coronandi successoribus ejus in Imperio precipuum

(a) In carmine, ipso coronationis actu Pöetis dignitatis titulum conferre  
quo de Imperatorem, ipsa diplomata Imperatoria demonstrant.  
Comitia Nec longum abeundum est, Pöeta est Oratori finitimus. O-  
Dn. Ni- rator autem omnibus alijs Professoribus pæfertur, ut docet  
colao Bart. per gl. in l. i. C. de stud. lib. urb. Rom. & c. Quidni ergo  
Reusne- Pöeta æque ut Oratores dignitatis gradum tenere poterit & obti-  
ro gratu- nere? ut alicubi insignis ille Jurisconsultus & Cancellarius  
latur. Saxonicus dignissimus Peifferus (a) annotat. De Cajo Ju-  
(b) In lio Casare refertur, quod cum in Pöetarum cœtum admissus  
Præfat. esset, veris artificibus loco cesserit, & subsellia inferiora occu-  
de re Po- parit. Virgilio in theatrum aliquando venienti Populus Ro-  
etic. manus, perinde ut ipsi Casari, assurrexit, & cum verbis non-  
(c) lib. 2. posset, facto præclaro excepit. Pöetarum lectionem qui da-  
de Nat. mnät, agresti atq; aspero supercilio bruti homines, ne in homi-  
Log. cap. num quidem censu reponendos esse, ait Scaliger. (b) Poe-  
15. fol. 34. mata ad morum conformationem facere, docet Zabarella, (c)  
(d) lib. 2. ad eloquentiam conferre, ait Ovidius, (d) ubi inquit:  
de Ponto Distat opus nostrum, sed fontibus exit iisdem,  
Eleg. 6. artis & ingenuæ cultor uterque sumus.

Utque

Utque meis numeris tua dat facundia vires,  
Sic venit à nobis in tua verba nitor.

Philosophos autoritate Poëtarum multa probare affirmat ex Cicerone Quintilianus, (e) & cū alijs noviter Caselius, (f) qui, elegans eruditio, inquit, sine Poëtarum cognitione non perficitur. Imagines à Poëtis arte factas Philosophos libenter aspiciere, & ex illarum contemplatione non parum proficere, docet Aristoteles. (g) Quinimò totam Philosophiam in unico Homero reperiri probat Plutarchus, in Pindaro credit Hieronymus Mejus, & putat etiam Basilius, (h) ex Virgilio totam Ethicam desumi posse statuit Scaliger. Unde & à Tyrio Platonico Poesis dicitur φιλοσοφία τῷ μὲν χερίῳ παλαμὰ τῇ δὲ ἀεμονία ἐμμετρα, ἢ δὲ γνώμη μυθολογική. Poetas prodesse & bonas mentes optima disciplina delectare voluisse, cum Horatio docet Philippus, (i) probat Franciscus Robortellus, (k) rectè affirmat Hieronymus Fracastorius. (l) Quorsum verò hæc? Quorsum? Auditores, nempe illuc ut intelligatis istos nostri seculi Poetas, tam benè Poeseos ornare dignitatem, quam asinus nundinas Lipsenses, morio Comitiam Imperatoria, vesperilio palatia regia. Etenim homines isti bellatuli cum vix pedem civitati intulerunt, in popinam, vel diversorium, si res benè cadat, abjectum planè & non rarò suspectum sese conferunt, jejuni, macilenti, & quos ipsius Famis Plautinae filios dixeris. Deponunt, si quod habent, pallium & gladium, quandoq; etiam fustem, inquirunt, quosnam civitas alat homines divites, quos Nobiles, quos Barones, quos Comites, & nescio quos non à quibus vel tantillum expectandum sit & impetrandum premioli, nomina accuratè assignant, poscunt penam & chartam, confident & muscam cum Luciano, stultitiam cum Erasmo, calvitiam cum Synesio, quartanam cum Phavorino, pulicem cum Calcagnino, rapam cum Diocle operose laudant,

(e) lib. 5. capit. 11.  
(f) lib. de ludo aperiendo, p. 116.  
(g) lib. de arte Poëtica f. 24.  
(h) In libro, ut ex Græc. Autoribus capiendus sit aliquis fructus.  
(i) In Encomio Eloquætiæ, Tō. Orat. 1. pag. 363.  
(k) In lib. Arist. de arte Poëtica.  
(l) d. tr. de re Poëtica, pag. 333.

*Et nulla sive pietatis, sive probitatis, sive eruditionis, sive sapientie habita ratione carmen in chartam conjiciunt verius, quàm scribunt. Quo de quid sentiendum, Taubmanni (m) in Cur. juvenilib. p. 590.*

potius, quàm meis verbis cognoscatis. Ille verò:  
longissimùm vale, inquit, vale longissimum  
mos pessimus, mos bile dignus pessima,  
nostrique seculi dedecus quam pessimum,  
dum quicquid obvium venit, turpissime  
effutiunt & exspuunt, & publico  
quammoxi fruisi plurimum præconio  
exæstuant, chartæ illinunt, typographis  
vel præstitutis ære vel precario  
obtrudere haud verentur improbissime.

*Titulis interim valde liberales, ut hoc quidem nomine cum Arithmeticis, qui numeris divites, nummis pauperes non difficulter comparari possint. Sed obtrudunt tamen. Carmine enim profuso accersitur famulus, jubetur ire ad Chrysandrum & Danistam, carmen offerre, & unà, quod quasi per cuniculos petitur, adferre honorarium. Adfert fortè famulus. Quis enim tam sanctis quasi Poëtis non continuo scrinia omnia aperiret, & Hecatombem immolaret? Consideretur, cæna apparatus Ujatica, apponitur sæpè*

*...lacrymoso non sine fumo;*

*(n) 1. Ser. ut loquitur Horatius, (n) vinumq; avidius, quàm ab anyfat. 5. Plautina (o) expetitur, bibitur. Illa verò ad vinum;*

*-----Salve, ait, anime mi,*

*267. Liberi lepos, ut veteris vetusti cupida sum.*

*(o) Ex Curcul. act. 1. Nam omnium odor unguentum præ tuo nautea est, tu stacte, tu cinamum, tu rosa, tu crocum, & casia es, tu Petalium. Nam ubi tu profusus, ibi ego me Pervelim sepultam, sed cum adhuc naso odor meo es obsecutus, da vicissim gutturi meo gaudium.*

*Et dat etiam bonus ille Deus, vinum puto, tale gaudium, quod*



si vel obulum ex diversorio transportet Poëta, ipsum vel omnibus Diris devoteat, & si forsan ejusmodi hominem asser-  
vare ne aufugiat velis, quod ait ille apud Plautum: (P)

Eica atque potione vincire debet

apud mensam plenam homini rostrum diliges,  
dum tu illi quod edat & quod potet, præbeas:

Si verò nihil adfret famulus, bone Deus, quàm ibi Juppiter  
tonare incipit, & in bonos saepe viros alijsq; non rarò occupa-  
tos negotijs pasquillorum & contumeliarum jacere fulmina,  
ut quod Tranio Plautinus (Q) ait, unica mutata vocula jure  
usurpare possis:

Nullum adepol hodie genus est hominum tetrius,  
nec minus bono cum jure, quàm Poëticum.

Hi nempe non spiritu illo atbereis adveniente sedibus, sed è  
culina & cella vinaria prorepente sunt turgidi: Hi non vir-  
tutis, ut Homerus, sunt patres, sed omnium ferè vitiorum, im-  
primis luxuriæ, maledicentiæ & socordie sunt gurgites. Hi  
non gloriam Dei, quæ tamen ut omnibus disciplinis, sic & Poë-  
tica tanquam ultimus finis est proposita, non bonorum famæ  
aut existimatione, quæ tamen pari cū vitæ passu ambulat, non  
professionis suæ attendunt divinitatem: sed lucrum aut quæ-  
stum velut è meretrice extrudunt, aut ex furno Vulcanio es  
procudunt, aut alijs sitientibus vinum cum vomitu totum in  
hypocaustum profundunt. Hi nempe illi sunt, qui Imperato-  
rio gaudere debeant privilegio, ipsiusq; manu impositam Lau-  
ream circumferre, quam tam malè prostituunt, & quibus vis  
in popinis venalem habent. Hi nempe illi sunt, qui Principum  
mensis adhibendi, qui liberis illorum, ut olim, præficiendi, cum  
ne quidem sibi sapere, suamq; vitam ita instituere possint, ut  
vulgo evitare indignationem & execratione non queant. Hi nē-  
pe illi sunt, qui Jovis filij vocandi, cum in Augiæ stabulis deli-  
tescant, & ad otium desidiamq; velut ad Sireneos scopulos con-  
senescant. Hi nempe illi sunt, qui Musas perpetuas virgines  
colunt,

(P) In  
Menæc.  
act. 1. p.  
388.

(Q) In  
Mostel.  
act. 3. p.  
367.

C

colunt, cum vitūs & delitijs dediti, non in rosis Hesperidum,  
sed in stercore suum Homericarum saepe consideant, non raro  
etiā toti jaceant, versusq; tam spurcos & obscænos evomant,  
ut totius Æthnæ ignis, qui impuritatem istam excoquat, Ve-  
neris Homericae unguentum, quod obscænitatem tegat aut  
molliat, vel potius Lucinae balneum, quod illas sordes eluat, ac-  
cersenda sint. Hi nempe sunt illi, quibus in theatrum venien-  
tibus Populus Romanus assurgat, cum in urbem aliquando  
venientes vix à Dromone, aut Corydone distingui possint, in  
diversorio, nisi nummulos prænúmerent, ad mensam non  
admittantur. Quæ non hæc quæ non imprudentia, dixerim  
verius impudentia, filias Jovis, Musas puto, cum Baccho com-  
miscere? Charites à suis Sororibus sejungere? virtutes, quæ  
tamen Poëtarum olim erant contubernales, ad extremos usq;  
Indos ablegare?

DI te summoveant ò nostri infamia seclī.

Sed ad alterum, quod restat Orationis membrum, ut prope-  
remus, ipsa monet Hora & Horta, sua quæ Oratoribus olim  
suggesto apponebatur, clesidra. Virorum doctorum officium  
est, Omnibus prodesse, Nemini nocere. Tacetis. Quod ergò à  
me dictum, vestro silentio approbatis. Et qui non approbetis?  
Nam vir doctus est tanquam, Sol ille Ovidianus, qui si suos  
aliquando subtrahere incipiat radios, & alios Phaëtontes su-  
um currum occupare patiatur, tum omnia tenebris invol-  
vuntur plusquam Cimmerijs, & illa gratissima λαμπάδοφο-  
εja plane interrumpitur, divinam mandatum, quod quem-  
vis sua in statione officio commisso præesse jubet, negligitur,  
talentum, quod cuivis hominum concessum, sine ullo fœnore  
terre defoditur. Est velut Apollo ille Pythius, à quo ut omnes  
regiones, sic hæc Ecclesia, resq; publica consilium & auxilium  
petere possit paratissimum. Est ceu Salus ipsa & Fides, quæ  
non fluvio, sed toto mari omnes felicitatis in alios exoneret  
alveos, nihilq; prius habeat, nihil antiquius, quam ut bono-  
rum

rum laudes apud bonos bona ipsa bene depradicet, vitia si qua  
in genere humano occurrunt, (occurrunt autem sepius)  
pallio benevolentiae & equanimitatis vel tegat, vel oleo ita  
molliat, ut ubique tamen humanitatis appareant vestigia, &  
non Ironia illa Diogenis, non Martialis dicacitas, aut Zoili  
mordacitas, sed patientia Socratis, moderatio Platonis, & pru-  
dentia Alcibiadis ubique rerum potiatur.

Qua in provincia quam strenuos sese illi nostri exhibeant,  
agite breviter perpendamus. Ubi terrarum tandem Ecclesia  
illi suam dicant voventque operam. Nullibi. Ubi terrarum  
Reipublica inserviunt, ejusque onera cum suis concivibus sub-  
eunt? Nullibi. Ubi terrarum scholis, quae tamen, si unquam,  
hodie certe virorum doctorum efflagitant patrocinium, &  
Herculem alium, qui hoc caelum suis sustentet humeris, expo-  
sunt, sua profunt linguarum cognitione, & ingenij dexteri-  
te? Nullibi. Nullibi, quo modo vera religio defendatur, falsa  
deprimatur, sed potius cutis more & modo Epicuri probe cu-  
retur, unice sunt solliciti. Nullibi, quo modo tantis in omnium  
rerum confusionibus Reipublica tabescenti & vix dum respi-  
ranti succurratur, sed quo modo novis exactionibus, quae com-  
pendio ad paupertatem ducunt, cives onerentur, dies noctesque  
velut Harpyiae Virgilianae exquirunt. Nullibi, de juventute  
erudienda, ad quod tamen natura duce & arte comite non in-  
epti sunt & imparati, sed de Pastorum oculis evacuandis, de  
Magnatum poculis exhauriendis, quanti quanti, sunt cogi-  
tant, interim homines miselli & squalidi, qui cum Clereta  
Plautina (r)

Sordido vitam oblectant pane, in panis inopia  
atque ea si sint, magnas habent omnibus DIs gratias.

Qui in havis saepe circa boum greges noctu cubantes, vix  
stramē habent, quo caput collocent suū. Qui scabiosi saepe non  
cum Ranis Homericis, aut Gruibus Ibici, sed cum pulicibus &  
sulicibus perpetuum gerere bellum coguntur, alijs quomodo

Utopia uno milite Plautino occupanda sit, aut sumptus nuptiarum funerumq; minuendi, ipsius etiam Turcæ potentia frangenda, præscribentes modum, qui ne quidem caligas triobolares suo ære sibi procurare, aut dolium Diogenis, quo in latitët, comparare, aut Charonti, siquidem abhinc discedendum sit,  $\omega\theta\upsilon\lambda\alpha$  dinumerare possüt. Sic nepe, alijs dñ vigilamus, nobis dormitamus, & asinum cornutum, qui ex Asia sive Hasia deductus es, nostris in gremijs fovemus, nobisq; mirum quantum placemus. Sed mittamus ea. Harpyiis monstrum tristius  
--- nec sævior ulla.

Pestis, & ira Deum stygiis sese extulit undis.

(s) I. Æn. Nam quod ait Virgilius: (s)

Virginei volucrum vultus foedissima ventris  
prolucies, unæque manus, & pallida semper  
ora fame: quæ

--- magnis quatunt clangoribus alas,  
diripiuntque dapes, contactuque omnia foedant  
immundo.

Quid vultu exstimuistis? Auditores. Harpyie non sunt Harpyie amplius, si cum istis nostri seculi erronibus, bibonibus & lurconibus conferantur. Hi enim & ipsi virgineos ostentant vultus, hoc est, insigni Poëtarum nomine tam doctos quam indoctos seducunt. Sed illorum est: --- foedissima ventris prolucies: dum in popinis quemvis Sardanapalum bibacitate vincunt, & vinum, ceu amphora, hauriunt, ebrj q; nisi furorem ubique ostendant suum, se Poëtas non esse sibi pessimo exemplo imaginantur, quasi Poësis & furor comites sint individui, & velut Dolor & voluptas cathena plusquam Vulca-

(t) I. Scr. nia colligata. Sed ut loquar cum Horatio: (t)

p. 204.

--- longè mea discrepat illis

& vox & ratio. Si enim Poëtarum proprium est furere, (ut illi explicant) videte quàm benè Reusneri, Melissi, Meibonij, Frentzelij, Rittershusij, Hantsmanni, Taubmanni, Libavij, & quos

Et quos primo omnium nominare jure merito debuissim, Hei-  
deri Et Griphiantri inter Poetas locum obtinere possint, qui  
sua in vocatione Deo grata, juventuti utilia, Et olim, Et nunc  
etiam partim quotidie docentes, si tempus locusq; exposcat,  
carmina etiam scribere possunt vel Apolline digna:

Et que illi, cum Cherilus Homerum, adæquarint aut exupe-  
rarint. Sunt illorum unce manus, dum suos versus velut ran-  
cidas merces undique, in constrinis etiam Et ganeis dividunt,  
Et inde aliquid pecuniolæ corradunt, corrasum quod ille ait  
apud Plautum (u) ---comesum

expotū, exutū, elotū in balneis, piscator, pistor abstulit, (c) In Tri-  
Lanii, coqui, holitores, myropolæ, aucupes. Confit citō num.  
quām tu si objicias formicis papaverem.

Sunt illorum ---pallida semper  
ora fame. Nec enim fit raro, ut in commoda minus inci-  
dentes hospitia, strenuè etiam esurire cogantur, Et famem  
atro pane, sitim aqua solari. Hi nostri insuper  
---magnis quatiunt clangoribus alas.

Ubique enim terrarum nil nisi versus crepant, nil nisi versus  
clamitant, nil nisi versus somniant, ut jures cerebrum illorum  
totum versus esse, nec opus tamen, ut à Vulcano bipenni divi-  
datur, quo Pallas illa ceu ex Jovis capite prosilire possit. Ipsi  
enim sua sponte erumpunt, Et magnas sepe regiones ingenti  
molestia afficiunt. Dicam enim, quod res est,

---contactu omnia foedant  
immundo. Quis enim Imperatorum, Regum, Principum,  
quis Magnatum, quis Consiliariorum, quis Professorum, ab  
istis Harpyis hætenus planè tutus Et immunis esse potuit?  
Calumniare audacter, semper aliquid hæret. O hereant illi,  
Et fiant una longa litera, qui insignem Poëseos splendorem sua  
vita ita obfuscant: Qui cum honestum in Republica locum  
obtinerent, ut mendici spontanei omnes terre angulos  
perreptant: Qui cum bonos Et doctos laudare tantum Et

cōmendare deberent promiscuè, modò obuli consequendi spes af-  
fulgeat, vel etiam vini cantarus appareat, omnes, quamvis ne  
Alpha & Beta norint, versib. suis sive ornant, sive onerant, qui cū  
omniū, quotquot Sol hīc aspicit, sint miserrimi. Nec n. in vijs am-  
bulant, nec Deum suæ vitæ habent autorem, nec Angelos, nisi for-  
san malos comites, aliorum vitia taxare, in bonos viros, de quibus illis  
optimè sepe meritos invehere, non erubescunt, & illa sepe de alijs  
publicè scribere, quæ si vicinus vicino coràm objiceret, vix manū  
& ferulas carnificis effugeret. Scilicet isti homines, ut loquar cū

(d) Ex Callicle Plautino. (d)

Tri- Quod quique in animo habent, aut habituri sunt (Quod  
num. sciunt. Id quod in aurem Rex Reginae dixerit, sciunt. (sunt,  
act. 1. Juno fabulata sit cum Jove, quæ neque futura neque facta  
pag. tamen sciunt. Falsone an verè laudent, culpent, quem  
713. non floccifaciunt, dum illud, quod libeat, sciant. ( velint,

*Hinc hostes sepe finguntur, qui nullibi terrarū, ne quidē apud  
ipso Inferos inveniuntur. Audias n. & legas sepe: In Lollium, in  
Lullium, in Marculum, in Morculum, in Zoilum, in Loilum, in Li-  
bonem, in Bibonē, in Tulpium, in Rulcium, in Tiretellam, in Pere-  
tellam, & nescio quæ non alia nominum monstra ibi fingantur,  
sub quibus illud venenum tegere, & optimos sepe viros pungere,  
& velut vipera mordere queant.*

Quæ cum ita sint, si Imperatorū est, privilegia bonis con-  
cessa ab omni abusu vindicare, eademque facta tecta in vigo-  
re ad posteros propagare, bonasque artes suo in honore con-  
servare: vos, Imperatores, hīc vindicate, propagate, conser-  
vate. Si Principum est mendicos, qui sua sponte & facto pau-  
peres sunt, vel laboribus dignis præficere, vel suis è finibus eji-  
cere, crapulæque & aliis civium suorum exactionibus occur-  
rere: vos, Principes, hīc præficate, ejicite, occurrite. Si Consi-  
liariorum est maledicostempestivè compescere, injurias  
maturè retundere, malosque cognita causa è corpore Reip.  
excindere: vos, Consiliarii, hīc compescite, retundite, ex-  
cindite.

ciudite. Si Professorum est canes mordaces legib. certis al-  
ligare, fucos ignavos sua ex Academia ablegare, sues ob-  
scœnas ad Garamantas usq; amandare: vos, Professores, hîc  
alligate, ablegate, amandate. Si Præceptorum est ingratos  
suis ex ædibus excludere, nocentes foràs protrudere, insa-  
nabiles longum proscribere: vos, Præceptores, hîc excludi-  
te, protrudite, proscribite.

Sed de otiosis & odiosis istis hominib. dum verba facio,  
ne odium prolixitate aliqua incurram, aut vestra patientia  
in auscultando abutar, Orationi meæ finem impono, teq;  
Deuster Optime ter Maxime, ardentissimis suspiriis oro,  
hanc Salanam, quibus olim fundasti & firmasti auspiciis,  
nunc iisdem conserva, protege, defende, nostrisq; ab alveo-  
lis omnes fortunæ debacchantis insultus & tumultus abige,  
amove, tolle, & abominandum illud Poëtarum, quorum  
mala mens, malus animus, monstrum nostris à tectis & mē-  
sis arce, propelle, ablega: Sed Ecclesiam verè Christianam  
tuo numine sustenta, corrobora, confirma, Electoremq; &  
Principes Saxonicos, quo hætenus, & impofterum rege spi-  
ritu, bea favore, governa prosperitate, ut sub illorum um-  
bris & ulnis hîc ulterius tranquillè vivere possimus, &

*Propter aquæ rivos carmen meditarier, atque  
tandem facta Ducum vivis inscribere cedris,  
& facere ut resonent Jenenses Biblia montes.*

Ratum sit. O clementissime Deus, ratum sit.

D I X I



---

*Tu qui bonus lege & Zōiav pro & Zōiav, optimam pro optimum  
Et si quæ alia, quæ inter excudendum occurrunt, si  
mala, abjice & corrige*

Antd 44

1077





VIRO  
E  
D N  
FOR  
D. Com

laëque Sa  
cella

Ἐπιτάφιος ἡγιᾶς Ἐ  
gr

POëtarum non  
tivillitia Plau  
dandum. Impo  
habuerunt, & h  
sua manu laure  
tare, partim su  
tissimè volueru  
Poëtarumque f  
& ad Insulas ne  
culpa non divi  
tam ferè Europ  
merica ab istis l  
Ulysis sive per  
cen Æolicorum  
isto velut spirar  
daciores & pejc

MO,

Æ

J. U.

eo, Au-

gi, Can-  
no

uspicio, pro-  
r.

men, ut ad ti-  
haras aman-  
etas in precio  
mque partim  
privilegiis di-  
ttere clemen-  
silla Poëscos  
Ad Utopiam,  
eræ concessit,  
candi) qui to-  
io sanè, an A.  
ovi cujusdam  
n carminum  
niscuè quosvis  
ongè sæpe au-  
Quam

